



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Ivstitia Et Contractibvs

**Vindalium, 1646**

Sect. III. De mutuo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**

## SECTIO II.

*De Mutuo*

## CONCLUSIO VNICA.

Iustitia quæ in contractu mutui reperitur, tollitur per usuram.) Vt hoc intelligatur, quæritur 1. quid sit mutuum. Respondeo, mutuum esse, contractum quo quis tradit alteri rem suam ad usum, ut statim fiat accipientis, & restituat postea tantundem eiusdem rationis & qualitatis, seu eiusdem speciei & bonitatis.

Vbi nota 1. materiam mutui esse ut plurimum, rem usu consumptibilem, quæque consistit in numero, ut pecunia; in pondere, ut autum, argentum, &c. 2. & in mensura, ut vinum, oleum: &c. eam distingui à materia commodati, quia huius traditur usus, non dominium; materia verò mutui quia usu ipso consumitur, seu alienatur, traditur quoad utrumque: adeò ut mutuarius non teneatur reddere eandem rem numero, sed specie. 3. iustitiam huius contractus in eo consistere, ut mutuans non plus accipiat à mutuuario

quàm ei dedit: hoc enim exigit iustitiæ æqualitas. 4. hinc sequi, contractum mutui ex se alioqui honestum & licitum ut patet ex Scrip. Matth. 25. & Lucæ 6. vitari per usuram, quâ aliquid accipitur à mutuario, ultra sortem.

Quæritur 2. an, & qua ratione usura sit illicita. Respondeo 1. usuram etsi interdum sumatur pro lucro usurario. hic summi pro ipso contractu, ex quo tale lucrum provenit; adeoque nihil aliud esse quàm contractum quo aliquid exigitur ultra sortem, tanquam ex iustitia debitum, ex vi mutui, seu propter usum rei mutuatae, in dominium ipsius mutuatarij iam translatae.

Respondeo 2. usuram sic spectatam, non modo in scriptura, & iure canonico esse prohibitam, sed etiam esse ex se & intrinsecè malam, & contra ius naturale; ut docent omnes Theologi, cum sancto Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 1. & facile ostenditur, tum quia contra rectam rationem est, in contractu oneroso plus ab alio accipere, quàm ei tribuas, ut satis patet, facileque ab omnibus admittitur in aliis contractibus: tum quia iniustum est petere aliquid pro usu rei non suæ, sed in alterius dominium translatae, ac aliunde ad æqualitatem compensatae, vel com-

DE IVSTITIA. CAP. IV. 73

penſandæ. Res autem mutuo tradita non est mutuâtis, sed mutuatarij; dicitur enim mutuuum, quia per illud aliquid fit de meo tuum, quod ipsum patet, quia mutuo dans pecuniam alicui, dat illi plenissimam potestatem ea pro arbitrio vendendi, omnino indepenter à voluntate mutuantis. Quare sicut iniquum est, vendito pane pro iusto pretio, aliquid insuper exigere pro vsu illius, ita mutuo dans pecuniam, quæ æquali summa cõpensanda est, non potest sine iniustitia aliquid exigere pro vsu illius pecuniæ.

Quæritur 3. etsi non possit licitè auctarium sumi ratione mutui, possit tamè sumi in mutuo. Respondeo posse, omnium consensu, idque non modo donatione gratuita, sed etiam plerisque aliis titulis, quorum primus est, damnum emergens ex mutuo: hoc enim non est vsuna pecuniæ vendere, sed damnum vitare, vt ait S. Thomas art. 2. ad 1. Quod licitum esse ex eo manifestum est, quia nemo tenetur cum suo damno, beneficium alteri præstare.

Secundus; lucrum cessans ex mutuo, quod habet locum, quando aliquis ratione mutui impeditur ne aliquid lucretur. Hoc autem titulo aliquid iuste accipi ultra sortem, probatur, quia lucrum de Iust.

D

cessans non est minus æstimabile pecunia, quàm damnum emergens; quare utrumque in pactum deduci potest. Quod intellige, modo sit spes proxima & probabilis lucri, qualis non habetur, nisi ex pecunia negotiationi destinata.

Tertius titulus est, onus mutuandi, quia se obligare ad mutuandum, quoties aliquis indiguerit, est quid pretio æstimabile: sicut etiam est labor, in numeranda magna quantitate pecuniæ mutuatæ susceptus. Quo titulo excusari solet negotiatio illa vulgaris, Quæ Mons Pietatis appellatur, in qua pecunia, vel alia res mutuabilis exposita est ad mutuandum egentibus: ibi enim mutuatarij accipiunt mutuum ea lege, ut solvant aliquid pro expensis: quæ ad conseruationem Montis fieri debent, nimirum pro sustentatione ministrorum conductione domus, &c.

Quartus est periculum sortis, & molestia in ea recuperanda. Hoc enim est pretio æstimabile, adeoque pro eo aliquid licitè peti & sumi potest. Confirmatur, nam mutuator potest exigere, ut mutuatarius illius indemnitati caueat, dato fide iussore. si ergo remittat fide iussorem, velitque in se suscipere periculum sortis, potest aliquid pro tali onere acci-

DE IUSTITIA. CAP. IV. 75

pere; sicut & fideiussor, si daretur, licitè acciperet. Oportet tamen vt probabile aliquod periculum amittendæ fortis hic interueniat, adeoque vt mutuarius non sit persona securâ, vt authores loquuntur.

Quintus titulus, accipiendi aliquid licitè ultra sortem est, pœna conuentionalis, quæ habet locum, quando mutuans in pactum cum mutuuario, vt si statuto tempore summâ mutuatam non soluerit, teneatur aliquid soluere supra sortem, in pœnam suæ moræ. Ratio est, quia cum ille qui est in mora, peccet contra iustitiam, retinendo alienum inuito domino, meritò aliqua pœna dignus est, quæ propterea ex conuentione partium imponi potest. Cauendum tamen est, ne pœna illa apponatur ad palliandam usuram, seu ex intentione aliquid exigendi ratione mutui. Neue pœna illa exigatur, quando mutuarius non est in mora culpabiliter.

Hinc autem collige, in contractu mutui, licitum esse pactum legis commissoriæ in pignoribus, quando ponitur in pœnam; quia etsi non liceat aliquid accipere supra sortem, ratione mutui, licet tamen in contractu mutui pœnam apponere, quæ soluenda sit à mutuuario, si

tempore constituto non soluerit. Quare potest mutuans accipere pignus pro mutuo, ea lege ut pignus fiat mutuantis, vel pro vendito habeatur, nisi mutuarius termino præfixo summam restituat. Et ita in Montibus Pietatis fieri solet. Ex quo intelligis pactum illud, ideo dici legis commissoriae, quia si debitor non soluat tempore statuto, incidit in commissum, id est, amittit ius in rem suam, ob culpam commissam.

Queritur 4. quid dicendum sit de pacto dandi aliquid, à pecunia distinctum, ratione mutui. Respondeo generatim omnia pacta, quibus imponuntur onera pretio æstimabilia, tanquam usuraria reprobari: quia sic accipitur lucrum ex mutuo, quod planè illicitum est. Unde non licet tibi mutuum dare Petro, cum pacto ut conducat domum tuam, ut in officina tua emat, ut teneatur tibi præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu; ut cum tali scemina matrimonium ineat, ut tibi remittat iniuriam, pro qua iustam vindictam, vel satisfactionem exigere potest, &c. Ista enim & similia sunt pretio æstimabilia, adeoque non potest mutuarius titulo mutui, ad ea ex iustitia obligari.

Queritur 5. an pactum restituendi

rotidem nummos, siue maioris, siue minoris sint valoris, sit usurarium. Respondeo cum distinctione: nam si æquè dubium est, tempore restitutionis nummos plus, aut minus valituros, pactum non est usurariū; quia cum sit æquale periculum, & commodum, par est utriusque conditio. Si verò probabilius est, monetam plus valituram, & mutuator eam alioqui seruaturus erat, usque ad tempus restitutionis, tunc etiam pactum est licitum, ratione lucri cessantis. Secus si non erat seruaturus, quia iam aliquid acciperet ratione mutui, supra sortem.

Quod si vice versa probabilius est, pecuniam minus valituram, & ille statim eam distracturus erat, nisi mutuo dedisset, contractus licitus est, quia mutuator potest se indemnem seruare. Sed quid, si seruaturus erat? Quidam dicunt eum tunc non posse exigere eundem valorem. Alij verò oppositum affirmant, quia cum mutuator mutet propositum pecuniam seruandi, velitque eam nunc alienare per mutuum, nulla ratio est, cur non possit illam æstimare, secundum præsentem valorem. Porro quomodo usurarij teneantur ad restitutionem, ex infra dicendis intelligetur.